

49088/B

47257

F. 1x 9
19

QUÆSTIO
MEDICO-HISTORICA.
DE
ORTU ET PROGRESSU
SIPHYLIDIS.

QUÆSTIO
MEDICO-HISTORICA
DE
ORTU ET PROGRESSU
SIPHYLIDIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS HERBERT SOUTHEY,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

ET NUPER PRÆSES ANNUUS,

NECNON,

SOCIET. SPEC. EDIN. ITERUM PRÆSES ANNUUS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

“ Eumenidum e gremio prorupit Gallica pestis.”

PETRUS BIZARDUS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.



ROBERTO SOUTHEY,

FRATRI ET AMICO,

HANCCE DISSERTATIONEM

DICAT

H. H. SOUTHEY.

QUÆSTIO
MEDICO-HISTORICA
DE
ORTU ET PROGRESSU
SYPHYLLIDIS.

MEDICINÆ quodammodò cognata studia multa sunt ac varia. Herbarum scientia, metallorum, fossilium, corporei contextus cùm hominis tum animalium cæterorum,—in his omnibus disciplinis versari medicum oportet. Alia prætereà veniunt non negligenda : Morborum ortus, progressus, fortè et quorundam occasus, studia atque operam philosophorum videntur efflagitare. Non me latet interea, quod nonnulli existiment omnes quæstiones historicas nihil ad medicinæ

scientiam spectare. Difficile profectò esset illorum refellere sententiam ; mihi sat erit monstrare, multos ac arte medendi peritissimos his rebus plurimum temporis impendisse. Liceat enumerare FRIEND, LE CLERK, SPRENGEL, CULLEN, aliosque qui florùere celeberrimi. Nec opus est longiore proœmio : verbis uti CICERONIS, “ Cum PLATONE vel errare parùm “ pudet.” Omnium morborum quibus obnoxium sit humanum animal, nullus unquam Siphylide disceptandi fons exstitit uberior. De origine ejus, de nexu cum Gonorrhœa, de antiquitate, disceptatur. Mihi in animo est quædam proponere de tempore quo primùm per Europam sævire inciperet, et de regione unde eveniret pestis illa teterrima. Sunt fortassè qui me rem inutilem ac difficilem eligisse putabunt ; inutilem, quòd ad exercitationem medicinæ parùm confert ; difficilem, quòd plures et non indocti scriptores de ea dubitaverunt. Equidem confiteor me laboris magnitudinem serò nimis percepisse ; sed piget ab incepto recedere, et progredi juvat non tam perficiendi spe quàm ne frustrà in hoc certamine

certamine sudâsse videar. Libros permultos, quos adire volui, inspiciendi copia defuit, ideoque necesse est ut pluribus, quàm si aliter evenisset, maculis dehonestatum prodeat opusculum meum. Quantùm potui, auctores citatos ab illis qui antea de hac re disseruere perscrutatus sum, et solam diligentiae laudem exposco. Iis qui eandem posthac ingrediantur viam, spero me non inutilem fore prodromum.

OMNIBUS originem Siphylidis indagantibus, causa erroris fuisse videtur opinio contemporanii ejus cum Gonorrhœa ortus. Hæc sententia doctum ASTRUC variis implicuit difficultatibus: Credebat se oportere Gonorrhœæ antiquitatem redarguere, quòd pro certo haberet Luem Veneream ex Indiis Occidentalibus provenisse. Hanc quæstionem primùm ingressus, nolui de nexu horum morborum dicere; et tamen ut argumentum meum luculentius proponam, invitus licèt, in hanc arenam descendere cogor. Non ignoro perplures adhuc sentire Gonorrhœam et Siphylidem ab eodem

codem oriri contagio; mihi sufficiet monstrare, morbum ante finem decimi quinti seculi gonorrhœæ simillimum extitisse. GULIELMUS BECKETT, Chirurgus Londinensis, in dissertatione quæ prostat volumine xxx^o Act. Societ. Philosoph. Lond. num^o. 357, anno 1718, hunc morbum (Gonorrhœam) seculis aliquot ante annum 1494 notum fuisse Angliæ nomine *BRENNING* sive *burning*, monstrare conatus est. Ex opere manuscripto JOHANNIS ARDEN, chirurgi RICHARDO II^o. Angliæ Regi, citat hujus *BRENNING* descriptionem, quem morbum definit, “ Calorem interiorem, “ cum excoriatione urethræ.” Addit, “ Ex “ sectione cadaverum satis constare hoc mor- “ bo laborantes urethram habere excoriatam, “ veneni virulentiâ à fœmina accepti *.”

JOHANNIS ARDEN, suâ ætate, nempè exeunte decimo quarto seculo haud incelebris fuit, et contra incendium vel *BRENNING* utitur formulâ sequenti. “ Contra incendium, item
“ contra

* Vide BECKETT, “ Philos. Trans.” vol. xxx.

“ contra incendium virgæ virilis interius, ex
 “ calore et excoriatione, fiat talis syringa le-
 “ nitiva: Accipe lac mulieris masculum nu-
 “ trientis, et parum zucarium, oleum violæ
 “ et ptisanæ; quibus commixtis, per syrin-
 “ gam infundatur; et si prædictis admiscueris
 “ lac amygdalarum, melior erit medicina.”

In manuscripto, scripto circiter annum 1390, BECKETT invenit præscriptum: “ *For bren-
 “ ning of the pyntyl yat men clepe ye apegall.*”
 Ex antiquis ordinationibus lupanarium Lon-
 dini olim publicè prostantium, in suburbio
Southwark dicto, quædam a BECKETT citan-
 tur ad argumentum suum roborandum. An-
 no 1162 * statuta quædam ad dominium *Win-
 cestriæ* pertinentia, redintegrata fuêre, ut in
 æternum permaneant: inter alia, agitur “ de
 “ his qui custodiunt mulieres nefandam in-
 “ firmitatem habentes:” vetatur gravi mulctâ,
 “ ne qua in lupinari protest fœmina *arsuræ*
 “ morbo infecta.” Ex libro cui titulus,
 “ *Here*

* Vide “ *Philos. Trans.*” vol. xxx.

“ Here begynne the ordinances, rules and cu-
 “ stumes, as well for the salvation of mannes
 “ lif, as for to aschewe many myschiefs and in-
 “ convenients that dayley be lik there for to fall
 “ owte, to be rightfully kept and due execution
 “ of them to be don unto any person within the
 “ same,” laudat BECKETT sequentia verba :
 “ Item, That no stew-holder keep noo woman
 “ wythin his hous that hath any sycknesse
 “ of Brenning, but that she be putte out upon
 “ the peyne of makeit a fyne unto the Lord
 “ of a hundred shylyngs.”

Non solùm in nostra insula, verùm etiam in
 aliis regionibus, idem morbus notatur. In
 stâtitis a JOHANNA I., utriusque Siciliæ Re-
 gina, et Provinciæ Comite, de disciplina lupi-
 naris publici *Avenionensis*, anno 1347, sanc-
 tis, et linguâ vernaculâ scriptis, quartum caput
 ad hunc morbum spectat :

“ La Reino vol, que toudes Íous samdes la
 “ Baylouno et un Barbier deputat das con-
 “ souls visitoun todos las filios debauchados,
 “ que seran au Bourdeau, et si sen trobo
 “ qualcuno qu’abia mal vengut de paillardiso,
 “ que

“ que talos filios sian separados et lougeados
 “ a part, afin que non las counougoun, per
 “ evita lou mal que la jouinesso pourrie
 “ prenre.”

Hoc statutum adeptus sum ab ASTRUC, a quo non citatum esset, si non dignum foret fide: ille auctor eruditus, et morbum a BECKETT descriptum, et in statuto supradicto notatum, vel ab illuvie processisse, vel lepræ formam quamdam fuisse, existimat. Neutra explicatio mihi sufficere videtur. Malum contagiosum fuit et cum ardore et calore genitalia pertentavit. Non ab illuvie talia indicia nasci solent, et lepra alias corporis partes præter genitalia affecisset. Concedendo morbum gonorrhœæ simillimum olim extitisse, multa ab antiquis scriptoribus excerpta facilè poterimus intelligere; nec necesse erit ut credamus Siphylidem per eandem annorum seriem sævisse.

Sed de hoc malo, vel gonorrhœæ nomine vel quolibet alio titulo designandum, jam satis dicitur; ad propositum nostrum nunc revertendum est.

Enumerare varias fuitesque theorias quas fingere medici voluerunt de ortu Siphylidis, longum foret et inutile pensum. Tres solæ opiniones notatu dignæ sunt :

1ma, Siphylidem, omnibus mundi seculis, nimis promiscui concubitûs pretium, extitisse.

2da, Hunc morbum intra tropicos indigenum, sed non in Europa notum fuisse ante finem decimi quinti seculi.

3tia, Hispanos, ab America redeuntes, hanc pestem in Europam intulisse, inde totum per orbem antiquum vulgavisse.

Quo fundamine nititur prima opinio videamus. Scriptores qui monstrare conati sunt Siphyliden antiquos non ignorâsse, ex priscis auctoribus adumbrationes cujusvis mali excerpere, quas ad hunc morbum spectare putaverunt. Haud rarò paginæ notantur quibus dicitur lues depingi ; sed inventis locis citatis, difficillimum est similitudinem deprehendere. Exempli gratiâ : PLINIUS Siphylidem descripsisse asseveratur ; quid capite notato

tato inveni, subjiciam*. “ Urinam cient ana-
 “ gallides acorique radice decoctum, vel ipsa
 “ trita potaque, et omnia vesicæ vitia sanat :
 “ Et calculos, herba et radix cotyledonis. I-
 “ tem, genitalium inflammationem omnem,
 “ pari pondere caulis seminis et myrrhæ.
 “ Ebulum teneris cum foliis tritum ex vino
 “ potum, calculos pellit : Impositum, testes
 “ sanat ; genitalium nomas, hypocistis alba.”
 Nullo eget commentario hoc excerptum.

EUSEBIUS dicitur morbum depinxisse Si-
 phylidi simillimum ; cùm hæc descriptio sæpè
 notaretur, mihi visum est verba ipsa auctoris
 lectori expendenda exscribere :

“ Μετεισι γην αυτον (Γαλερίον) ΢ηηλατος
 “ κολασις· εξ αυτης αυτη καταρξαμενη σαρκος,
 “ και μεχρι της ψυχης παρελθεσα· αδροα μεν
 “ γαρ περι τα μεσα των απορρητων τε σωματος
 “ αποσασις αυτω γινεται· ειδ’ έλκος εν βαθει
 “ συριγωδες, και τριτων ανιαλος νομη καλα των εν-
 B “ δοτατω

* Vide PLINII Nat. Hist. lib. xxvi.

“δοτατῶ σπλαγχνῶν· ἀφ’ ὧν ἀλεκίον τι πληθὺς
 “σκωληκῶν βρῦειν, θανάτωδῆ γέ οὐδμην ἀποπνεῖν,
 “τῆ παντός ογκῆ τῶν σωματῶν ἐκ πολυτροφίας
 “αὐτῶ καὶ προ τῆς νόσῃ εἰς ὑπερβολὴν πληθῆς
 “πιμελῆς μεταβέβληκός· ἦν τότε κατασαπει-
 “σαν, ἀφορητὸν καὶ φρικτοτάτην τοῖς πλησιαζούσι
 “παρεχεῖν τὴν θεῶν. Ἰατρῶν δ’ ἐν οἱ μὲν, οὐδ’
 “ὄλως ὑπομῆναι τὴν τῆ δυσωδοῖς ὑπερβαλλου-
 “σαν ἀτοπίαν οἷοτε, κάλεσφατῆοντο οἱ δὲ διωδη-
 “κός τῆ παντός ογκῆ, καὶ εἰς ἀνελπίσον σωτη-
 “ρίας ἀποπεπλωκότος μηδὲν ἐπιπῆρειν δυναμένοι,
 “ἀνηλεῶς ἐκλείνοντο *.”

Certè GALERII ægritudo, non nisi summæ
 ope fidei, in Siphylidis speciem torquenda ; et
 præterea notandum est, Historicos Ecclesiasticos
 non omninò credendos, quando de Im-
 peratore Ethnico agitur.

In libro primo HERODITI mentio est cujus-
 dam morbi, de quo et critici et medici ancipi-
 tes adhuc hærent. Ait partem exercitûs Scy-
 thici templum Veneris apud Ascalon violâsse.

Dea

* EUSEBII, *Hist. Eccles.* lib. VIII. cap. XVI.

Dea irata, morbo ante hoc tempus fœminis proprio, impios castigavit. “ Των δε Σκυθεων
 “ τοις συλησασι το ιερων ενεβαλεν η θεος δηλει-
 “ αν νεσον.” Quomodo verba δηλειαν νεσον
 interpretari debeam nescio. Licetne Gonorrhœam intelligere? WHITAKER, eruditus *Ma-*
eunii historicus, citat quædam ex GULIELMO
 DE MALMSBURY, ad morbum venereum quæ
 pertinere existimat. “ BALDWINIUS supradic-
 “ tus duxit sibi uxorem. Ad legitimum con-
 “ nubium, non multò pòst, Comitissa Sici-
 “ liæ Jerosolymam venit; et tunc quidem il-
 “ lam thoro recepit; sed non multò pòst di-
 “ misit, aiunt incommodo tactam, quo geni-
 “ talia ejus cancer morbus incurabilis exe-
 “ sit *,” Nullus unquam dubitavit quin ge-
 nitalia

* “ And as this lady came from Sicily, (ait WHIT-
 “ AKER), which had been long in the possession of
 “ the Arabs, we apprehend the disorder to have
 “ been derived from the same quarter from which
 “ the small-pox is known to have been, even from
 “ Arabia,

nitalia morbis variis obnoxia essent, præcipuè carcinomati. Quæ in CELSI, GALENI, HIPPOCRATISQUE scriptis, Siphylidi spectare dicuntur, ne meum in immensam molem crescat opusculum, aliis meditanda relinquo. Mihi liquet, auctores supradictos hunc morbum penitùs ignorâsse: nihilominùs, ut curiosi pro se judicent, capita consulenda notabo:—HIPPOCRATIS, cap. 3. *de Epidemic., et de aère, aquis, et locis.*—CELSI, lib. 2. cap. 8., et lib. 5. cap. 20.—GALEN, lib. 6. cap. 5. Nec tempus nec
spatium

“ Arabia, and so to have formed, with that, two of
 “ the curses which Mahometanism inflicted upon
 “ Europe. This historical argument is apparently
 “ corroborated by the relative appellations of the
 “ two diseases; the great and the small pox, *la grosse*
 “ *et la petite verole*, plainly denoting the one to be
 “ contemporary with the other in the knowledge of
 “ Europe.” Argumentum haud pervalidum. Silves
 ab Arabis provenisset, cur non in Hispania visa est
 ante COLUMBI reditum? Cur non a medicis Arabi-
 cis descripta est? Certè morbus adeò periculosus
 dignus esset notari.

spatium sufficiat, omnia quæ apud antiquos ad hanc pestem pertinere dicuntur, perstringere. Hoc tantùm adjiciam: Ex silentio poëtarum veterum, argumentum validissimum deducendum. An putandum est HORATIUM, PERSIUM, JUVENALEM, qui tam obscœna sæpè proferunt, qui tot convitia, tot impudicitias passim congerunt, aut CATULUM et MARTIALEM, qui de rebus venereis tot dicteria jaciunt in omnes, scriptoribus senioris ævi verecundiores fuisse? Sed de hac re jam satis superque dictum est. —Ad partem secundam propositi nostri procedamus.

Sunt qui putant Siphylidem intra tropicos endemiam esse, et præcipuè apud incolas Asiæ Meridianæ secula per ignota extitisse. Huic opinioni nunc animum advertere oportet; verùm imprimis perpendere debemus argumenta quibus nititur. Ad hanc rem perscrutandam, auctores maximè consulendi essent, quicumque inter Indos Orientales peregrinati sunt, ante finem decimi quinti seculi; sed ASTRUC, et qui cum eo consentiunt, non utuntur argumentis tali ex fonte expromptis.

THUANUM pro se testem adducit ASTRUC ; at THUANUS vixit Lutetiæ Parisiorum, ineunte decimo septimo seculo, ideoque de hac re iudicandi utrique par fuit copia. Eodem tempore floruit ASTRUC. SYDENHAMIUS ait, “ Se ab
 “ Anglorum plurimis, iisque fide dignis, didi-
 “ cisse mancipia recens e Guinea allata, hoc
 “ morbo tentari, nullâ copulâ impurâ prægres-
 “ sâ, ita ut non rarò universam aliquam eo-
 “ rum familiam, viros scilicet, mulieres, libe-
 “ rosque malè mulctet. Neque ista lues quæ
 “ afflictissimos hosce sæpè sæpiùs invadit, vel
 “ hilum a venerea nobis dicta, quantum ego
 “ quidem intelligo, quoad symptomata, scili-
 “ cet, ulcera, &c. habita diversorum clima-
 “ tum ratione videtur discrepare, licèt nomine
 “ prorsùs abludat, cùm *the yaws* ab illis dica-
 “ tur.” Attamen concedendo morbum *the yaws* appellatum, formam tantùm esse Siphylidis, non constat quin ex Europa deduceretur, ut mox ostendemus. Insuper notandum est, apud gentes qui literas ignorant, centum æquè ac mille annos pro vetustate haberi : hinc non mirandum Africanos credere hunc

hunc morbum inter eos semper communem fuisse.

EX tractatu JACOBI BONTII, olim inter Batavos in Amboyna medici, excerptum profert ASTRUC; nec tamen fideliter laudat, ut comperti sumus. Supprimit omnia quæ opinioni suæ adversantur, nec vera auctoris sententia proponitur. BONTIUS ait, “ Endemium seu
 “ popularem morbum in Amboyna et Moluc-
 “ cis Insulis oriri, quem Batavi *d’ Amboynse*
 “ *pocken* vocant; symptomatis suis admodum
 “ similem morbo venereo; in hoc tamen di-
 “ versum, quod hic sine congressu venereo
 “ quoque nasci soleat.” Haftenus fideliter laudat ASTRUC; causas excitantes omninò prætermisit. Ut BONTIUS habet, “ Hic affec-
 “ tus originem trahit, primùm ex peculiari
 “ cœli et soli istius genio, tum ex aëre vapo-
 “ ribus salsis, e mari undique ascendentibus
 “ infecto, cibus prætereà crassis et melancho-
 “ licis, et pituitosis, quibus incolæ assiduò
 “ vescuntur. Magnum etiam momentum
 “ huic malo adfert usus placentarum, quas
 “ vice panis per totum istum tractum edunt,

“ et

“ et *sago* ab incolis vocatur. Quantum ad
 “ curam attinet, ea, si recens sit, hoc malum
 “ non admodum difficilis est. Sin invetera-
 “ tum jam, molestior est cura. Porrò iisdem
 “ fermè remediis cedit quibus lues venerea
 “ obstructions lienis, leucophlegmatia, et
 “ ipse hydrops, et cæteri chronici et rebelles
 “ morbi.” Hæc omnia non exscripsit AS-
 TRUC: ait solùm, “ Hic morbus iisdem por-
 “ rò remediis cedit, quibus lues venerea.”
 Mihi videtur morbus a BONTIO descriptus,
 magis esse Scorbuto quàm Siphylidi affinis.

MARCO PAULO VENETUS primus est peregrina-
 tor inter Indos, narratio cujus itineris adhuc
 exstat; qui tamen nullam facit mentionem
 Siphylidis. JOAM DE BARROS Annales Lusita-
 norum apud Indos scripsit; quem, si ad co-
 piam quæ ei concessa est omnia perscrutandi
 advertamus, si ad diligentiam ejus agnitam
 colligendi quæcunque curiosa viderentur, pri-
 mum inter historicos Europæos qui de re In-
 dica tractavêre habebimus. Ille auctor cele-
 berrimus, aliis morbis quibus Indi obnoxii
 fuerint

fuerint notatis, Siphylidem haud commemoravit.

Sed hæc argumenta præsiidiaria tantùm habenda. Restat testimonium huic controversiæ quod opinor finem ponet. LUDOVICO ROMANO, viatorum inter primos qui ad Indiam Orientalem penetraverunt, et quorum commentarii extant, hæc habet: “ At pellex JO-

“ HANNIS MARIÆ natum ferens in urbem

“ *Canonor* dilapsa est. Hunc natum octoneis

“ aureis emi sacroque latice aspergi jussi,

“ LAURENTII indito nomine in *Divi Lauren-*

“ *tii* gratiam; quoniam ea die quæ Sancto

“ hujusmodi dicata est sacro fonte immersus

“ est: verùm intra annum ægritudine Galli-

“ câ correptus, animam egit. Noveritis etiam

“ id genus morbi peragrâsse fermè orbem to-

“ tum: quippe quod ultra urbem *Calechut* ad

“ quadringenta millia passuum, coram ego

“ conspicatus sum humanum genus inficiens

“ irrepsisse in gentes innumeras. *Puam* ipsi

“ appellant: aiuntque supra septimum ac de-

“ cimum annum id morbi sævire in mortales

“ haud cœpisse: estque is morbus nostris æ-

“gritudinibus multò insidiosior, longèque
“atrocior*.”

LUDOVICO ROMANO Italicus fuit, et scripsit
LEONE X^o. Pontifice Maximo. Ait, haud plus
annos septemdecim hoc malum apud Hindos-
tanos notum fuisse. Si concedemus ut circa
tertium vel quartum annum ab primo Siphy-
lidis in Europam adventu, Lusitanos hunc
morbum ad Indos transvexisse; tempus re-
sponderet ad septemdecim annos suprà me-
moratos: clarius quàm ut ullo egeat inter-
prete testimonium. Planè monstratum est,
Siphylidem ab Indis ineunte decimo sexto se-
culo novum haberi malum. Ex his satis con-
stare existimo argumenta, auctorum qui luem
endemiam esse putant regionibus tropicis,
nullo niti fundamine.

Quidam censuêre *ignem Persicum* nomen
esse alterum Siphylidi. AVICENNA, cujus
auctoritatem de morbo Asiatico optimam esse
existimo, in capite, *De pruna et Persico igne*,
ait:

* Vide GRYNÆI, Nov. Orb. pag. 248.

ait: “ Hæc duo nomina fortassè absoluta
 “ sunt, supra omnem pustulam corrosivam,
 “ vesicantem facientem accidere, escaram qua-
 “ lem facit accidere combustio et caute-
 “ rium.” Hoc excerptum sufficiet ad sen-
 tentiam illorum refellendam.

Marrani et *Judæi*, ab Hispania profugi, hanc pestem in Africam vexêre, ut patet ex scriptis LEONIS AFRICANI: “ Hujus mali ne no-
 “ men quidem ipsis Africanis notum erat,
 “ ante ea tempora, quàm Hispaniarum Rex
 “ FERDINANDUS Judæos omnes et Mahume-
 “ tanos ex Hispania profligâsset, qui ubi in
 “ patriam jam rediissent, cœperunt miseri
 “ quidam ac sceleratissimi Æthiopes cum il-
 “ lorum mulieribus habere commercium, ac
 “ sic tandem, velut per manus, pestis hæc per
 “ totam se sparsit regionem, ita ut vix sit fa-
 “ milia quæ ab hoc malo remansit libera. Id
 “ autem sibi firmissimè atque indubitatè per-
 “ suaserunt ex Hispaniâ ad illos transmi-
 “ grâsse; quamobrem et illi morbo ab Hispania
 “ *malum Hispanicum* (ne nomine destitue-
 “ retur) indiderunt. *Tuneti* verò quemad-
 “ modum,

“ modum, et per totam Italiam, *morbus Galli-*
 “ *cus* dicitur. Idem nomen in Ægypto at-
 “ que Syriâ adscribitur; unde malè impre-
 “ cantis proverbium, Te morbus malè perdat
 “ Gallicus *.”

Superest, ut animadvertemus opinionem originis Hispanicæ Siphylidis. Jure mirandum est, neminem eorum qui cum primùm pestis illa grassaretur, vixêre, aliquid certi de ejus ortu scripsisse: quod contrâ discrepat inter primos auctores, æquè ac inter scriptores cujuslibet recentioris ævi, eandem tractantes materiam.

Quidam existimabant morbum pendere ex statu aëris, alii ex siderum positu; alii eundem esse cum Elephante vel Lepra Græcorum; cum multis aliis sententiis, quarum quædam nimis absurdæ, quædam nimis spurcæ, quàm ut recitari debeant. ALEXANDER BENEDICTUS primùm originem Americanam Siphylidis suspicatus est. Scripsit circa an-
 num

* Vide GRÜNER, Scriptores de Morbo Gallico.

num 1497 ; aitque, “ Morbus Gallicus ad nos
 “ ex Occidente dum hæc ederemus irrepsit,
 “ tantâ omnium membrorum fœditate crucia-
 “ tibusque, nocte præsertim, ut Leporam alio-
 “ qui insanabilem sive Elephantiasin horrore
 “ superet, non sine vitæ pernicie.” Omnes
 ferè qui intra annum trigesimum ex quo pri-
 mùm sæviit, de hoc malo scripsêre, diversam
 theoriam de ortu ejus tulêre. Anno 1525,
 P. C. OVIEDO Historiam Naturalem Indiæ
 Occidentalis edidit, cujus e libro derivatur
 testimonium magnoperè citatum ab his qui
 credunt Siphylidem ab America profectam
 esse. Cùm plurima haud levia ex hoc pen-
 dere pateat, et non facilè comparentur hujus
 auctoris opera, sententiam momentosam notâ
 subjiciam *. Excerpto annexo OVIEDO ait
 malum,

* De *Palo santo* vel Guaiaco tractatur, in capite
 ex quo hoc excerptum accepi :

“ Puede V. Mag. tener por cierto, que aquesta
 “ enfermedad, vino de las Indias, i es mui comun, a
 “ los

malum, quod *las Buas* appellat, non in Hispania notum fuisse antequam viâ ad Indiam Occidentalem

“ los Indios, pero no peligrosa, tanto en aquellas
 “ partes, como en estas; antes mui fácilmente los
 “ Indios le curan en las Islas con este palo, i en ti-
 “ erra firma con otras iervas, o cosas que ellos sa-
 “ ben, porque son mui grandes Ervolarios. La pri-
 “ mera vez que aquesta enfermedad en Espanna se
 “ vido, fue despues que el Almirante Don CHRIS-
 “ TOVAL COLON descubrio las Indias, i tornò à es-
 “ tas partes i algunos Christianos de los que con el
 “ venieron, que se hallaron en aquel descubrimien-
 “ to, i los que el segundo viage hicieron que fueron
 “ mas, truxeron esta plaga i de ellos se pegò à otras
 “ personas; i despues el anno de 1495, que el gran
 “ Capitan D. GONÇALO FERNANDES DE CORDO-
 “ VA, pasò à Italia, con gente en favor de el Rei
 “ Don FERNANDO JOVEN DE NAPOLES contra el
 “ Rei CHARLES de Francia el de la Cabeça gruesa;
 “ por mandado de los Catolicos Reies Don FER-
 “ NANDO, i Donna ISABEL de inmortal memoria,
 “ Abuelos de V. S. Magest. paso esta enfermedad
 “ con algunos de aquellos Espannoles i fue la prime-

cidentalẽm COLUMBO patefactâ, milites eum
 comitantes a mulieribus Indianis acceperint
 quod

“ ra vez que en Italia se vido ; i como era en la sa-
 “ çon, que los Franceses pasaron con el dicho Rei
 “ CHARLOES, llamaron a este mal los Italianos, el
 “ mal Frances ; i los Francheses le llaman el mal de
 “ Napoles, porque tampoco le havian visto ellos
 “ hasta aquella guerra i de ai se esparcio por toda
 “ la Christiandad, i paso en Africa por medio de al-
 “ gunas Mugerẽs, i Hombres, tocados de esta enfer-
 “ medad, porque de ninguna manera se pega tanto,
 “ como del aiuntamiento de hombre a muger como
 “ se ha visto muchas veces, i asimismo de comer en
 “ los platos i beber en las copas, taças que los en-
 “ fermos de este mal usan, i mucho mas en dormir
 “ en las sabanas, i ropa de los tales aian dormida :
 “ i es tan grave i trabajoso mal que ningun hombre
 “ que tenga ojos, pue de dexar de haver visto mucha
 “ Gente podrida i tornada de San Lazaro, a causa de
 “ esta dolencia i asimismo han muerto muchos de
 “ ella, i los Christianos que se dan a la conversation
 “ i aiuntamiento de las Indias, pocos ai que escapen
 “ de este peligro ; pero como he dicho no es tan pe-

“ ligros●

quod postea, cum in patriam rediissent, aliis communicaverunt. Anno 1495, Dux magnus GONZALVO DE CORDOVA in Italiam cum exercitu transibat, contra CAROLUM VIII., Galliae Regem; tunc primum illa pestis in Hesperia visa est. Cum verò eodem tempore Galli in hac regione bellum gererent, ex iis morbum *Gallicum* Hispani vocabant, Galli *Neapolitanum*: mox totam per Europam vulgabatur. OVIEDO narrat, hunc morbum impertiri, si e poculo ægroti bibat aliquis vel eodem lecto dormiat, maximè verò sexuum commercio. Incolis Insularum Occidentalium (ait OVIEDO) *las Buas* mitior est quàm Europæ natis, et ægroti faciliùs his regionibus quàm

“ ligroso alla, como acà, asi porque alla este Arbol
 “ es mas provechoso, i fresco, hace mas operacion
 “ como porque el temple de la tierra es sin frio i
 “ aiuda mas a los tales enfermos que no el aire, i
 “ constelaciones de aca.”——GONZALO FERNANDES DE OVIEDO, apud Barcia Historiadores Primitivos de las Indias Occidentales. Tom. i.

quàm Europæ sanantur; forsan quod *guaia-cum* remedium optimum vegetius esset, et clima hoc morbo laborantibus propitius. Huic narrationi apud OVIEDO apertè suffragatur GOMARA. Inusitatiùs paulò scripsit, cùm gloriatur, Hispanos remunerâsse Indianos pro lue venerea, iis impertiendo variolam *.

Ex

* “ Los de aquesta Isla Espannola son todos bu-
 “ bosos i como los Espannoles dormian con las In-
 “ dias hincheronse luego de Bubas enfermedad pe-
 “ gajosissima i que atormenta con recios dolores.
 “ Sintiendo atormentar, i no mejorando se bolvie-
 “ ron muchos de ellos a Espanna, por sanar, i a
 “ otros negocios los quales pegaron su encubierto
 “ dolencia a muchas Mugeres Cortesanas, i ellas a
 “ muchos hombres, que pasaron a Italia a la guerra
 “ de Napoles en favor del Rei Don FERNANDO EL
 “ SEGUNDO contra Franceses, i pegaron allà a quel
 “ su mal. En fin que se les pegò a los Franceses, i
 “ como fue a un mismo tiempo pensaron ellos se les
 “ pego de Italianos, i llamaronle mal Napolitano.
 “ Los otros llamaronle mal Frances creiendo haver-

Ex testimoniis recensitis, argumentum deducendum de quo vix disputari potest. OVIEDO et GOMARA Hispani fuêre, et credendum est quod voluissent aliæ cuidam genti morbum tam fœdum in Europam afferendi dedecus ingerere. Miror equidem tantum ingenii et laboris a variis auctoribus impensum fuisse, ut rem satis liquidam caligine offunderent: nihilominùs, ne uni cuivis opinioni me nimis addixisse

“selo pegado Franceses, empero tambien huvo
 “quien lo llamò Sarna Espannola. Pagaron a los
 “Indios este mal de bubas en viruelas, dolencia que
 “no tenian ellos, i que mato infinitos. Asi como
 “vino el mal de las Indias vino el remedio, que
 “tambien es otra raçon para creer que trajo de al-
 “la origen, el qual es el palo, i Arbol dicho Guaya-
 “can de cuio genero ai grandisimos montes. Era
 “este mal a los principios mui recio hediondo, i in-
 “fame: agora no tiene tanto rigor ni tanta infa-
 “mia.”—FRANCISCO LOPEZ DE GOMARA, *Hist-*
toria de las Indias, cap. xxix. apud BARCIA, *Hist-*
Prim. de las Indias Occiden. tom ii.

addixisse videar, ea quæ dici solent contra originem Hispanicam hujus mali animadvertam.

Primum argumentum derivatur ex silentio FERDINANDI COLUMBI, qui patrem comitatus nullam facit mentionem Siphylidis. Parùm hoc refert objectum, si meminerimus intra tredecim menses exploratores novi mundi iter et regressum effecisse. Nec obliviscendum, omnia quæ viderent nova atque inusitata fuisse; oris color, lingua, mores alterius telluris incolarum in se converterent, quicquid temporis et curæ admirationi thesaurorum auri argentique non impenderetur. Indagatio morborum minimè cordi foret nautis glorian- tibus post exantlata ignoti maris pericula. Liceat adjicere, scriptores Hispanicos statim post FERDINANDUM COLUMBUM, memorâsse *las buas*.

Quod ab aliis objicitur, si COLUMBI comites hunc morbum Europæ attulerint, necesse est *Ulyssipone* primùm sævisse. In portu hujus urbis paucas dies moratus est COLUMBUS aquandi causâ, nec fieri potuit nautas omnes simul

simul in terram descendisse, nequè putandum omnes hoc malo affectos fuisse. Ægrotos aquam hausisse vero absimile est. Fas sit inferre, Siphylidi laborantes non inter incolas Ulyssiponis versatos esse. Sed concedamus, peste illâ infectos terram attigisse, non sequitur statim eos in concubitus ruisse; viribus et mentis et corporis morbo fractis; et præterea, inter eos et Lusitanos odium extitit gentile.

Aliud et argutum argumentum est, Siphylidem malum diversum esse a morbo *las buas* appellato. Bubones quæ maximè morbum posteriorem designant, omittuntur (ut dicitur) ab omnibus primitivis scriptoribus de lue venerea. Ad hoc respondet GIRTANNERUS*, in excerpto a MARCELLO CUMANO, de hac re scriptor ipse primus: “Ego MARCELLUS

* Vide GIRTANNER. vol. ii. pag. 3. MARCELLUS CUMANUS scripsit anno 1495. “MARCELLUS CUMANUS ist der erste und älteste medicinische Schriftsteller über die venerische Krankheit.”

“ CELLUS CUMANUS, infinitos bubones causa-
 “ tos ex pustulis virgæ curavi.” NICOLAUS
 MASSA *, Venetus, scripsit de morbo Gallico
 1536. Memorat apostema inguinum, non qua-
 si novam comitem hujus mali. “ Et sequun-
 “ tur (ait) apostema inguinum, quæ, si sup-
 “ purantur, removent ægritudinem, maximè
 “ a principio, quoniam inguina sunt emuncto-
 “ ria hepatis.” Sed concedendum bubones
 non semper adfuisse Siphylidi, per aliquan-
 tum temporis post primam ejus aggressionem.
 Quinimo notandum, omnia signa quæ ab ho-
 diernis scriptoribus *primaria* vocantur, leviter
 commemorari a primitivis auctoribus ; et hinc
 profectò liceat statuere, *secundaria* (ut nunc
 dierum dicuntur) indicia adeò citò superven-
 nisse, quod non internosci potuerint. Nec
 vitia genitalium semper notantur inter prima
 signa hujus mali, nec semper adfuisse viden-
 tur. Constat, ex innumeris testimoniis, Si-
 phylidem

* Apud LUISINUM, vol. i.

phylidem quando primùm in Europa visa est, longè diversam fuisse ab ægritudine his temporibus eodem nomine designata. Ad Canadæ Europæi pestem illam vexêre, et notari debet eam ibi novam formam induisse. SWEDIAUR fusè descripsit Siphylidem Canadensem. Quædam excerpere liceat: “ Ce qu’il y a de plus remarquable dans cette maladie, c’est qu’elle attaque rarement les parties de la generation, et qu’on peut la contracter sans aucune cohabitation avec les personnes qui en sont infectées.” Ex his, satis constare opinor argumentum e dissimilitudine morbi Americani a lue Europæana deductum, parùm valere.

Dicitur a quibusdam, quod Hispani COLUMBUM comitantes, admodum cùm pauci essent, non sufficerent ad morbum tam latè acceleriter despendendum. Velocitas quâ serpsit Siphylis totam per Europam, equidem miranda est. Mense Martis anni 1493, COLUMBUS Hispaniam rediit, novo mundo patefacto; ejusdem anni æstate, morbus apparuit

in variis partibus Germaniæ et Hesperiae*. Verùm profectò si ad ea quibus crevit morbus respiciamus, mirari desinemus. Tunc temporis, nullus contagii timor concubitum promiscuum inhibuit; morbus quoque, ut patet ab innumeris testimoniis, adèdè vehemens fuit, ut mille modis præter coitum communicaretur. Restat quoddam aliud non negligendum: circa tempus COLUMBI reditus, Judæi Hispanici, odio atque inimicitiis gentium oppressi, totam per Europam sparsi sunt, et cum iis pestis illa migravit. Ante Neapolis obsidium, innotuit Siphylis in Hesperia. COCCIUS SABELLICUS

* “ Die eigentliche wahre Lustseuche erschien
 “ seit dem Sommer 1493, fast zu gleicher Zeit all-
 “ gemein in Europa. In drei Monaten konnte die
 “ Krankheit doch unmöglich Zugleich, nach Berlin,
 “ Halle, Braunschweig, Mecklenburg, die Lombar-
 “ dei, nach Auvergne, und in andere Gegenden
 “ gleichsam mit dem ersten Winde übergeführt
 “ werden.” — SPRENGEL, *Versuch einer pragma-*
tischen Geschichte der Arzneikunde, vol. ii. pag. 569.

BELLICUS * dicit : “ Novum morbi genus ce-
 “ pit tota Italia vulgari, sub primum Gallo-
 “ rum in ipsam terram descensum (1494),
 “ *priore anno (1493) inchoatum.*” Et FULGO-
 so † teste, “ Biennio antequam CAROLUS ve-
 “ niret, nova ægritudo inter mortales detecta,
 “ cui nec nomen nec remedia, medici ex ve-
 “ terum auctorum disciplina inveniebant, va-
 “ riè ut regiones erant appellata.”

Neque absimiliter PAULUS JOVIUS ‡, etsi paulo incertior : “ Fuerunt, qui crederunt, id
 “ malum ab novo orbe ad occidentem reper-
 “ to, initium duxisse, et ab Judæis sub id
 “ tempus tota Hispania pulsis, in Italiam cæ-
 “ terasque regiones vario eorum errore dela-
 “ tum, sub id tempus, quo CAROLUS, pas-
 “ sim victor, Italiam percurrit.” CAROLUS
 ipse

* Vide GRÜNER, Aphrodis.

† Vide GRÜNER, Scriptores de Morbo Gallico.

‡ Apud GRÜNER.

ipse cum hoc morbo conflictatus esse censetur.

PHILIPPUS COMINÆUS *, CAROLI Regis amicus, itineris comes, et historicus fide dignus, de his ita scribit : “ Je demeurai à partir
 “ aucuns jours, parceque le Roy fût malade
 “ de la petite verole, et en peril de mort,
 “ parceque la fievre se mesla parmi : mais
 “ elle ne dura que six ou sept jours.” At verò febris variolosa non intra hoc tempus finiri solet, neque spuria variolæ, si forté adfuissent, facilè conjiciunt ægros in vitæ periculum : dubium ergo relinquitur quo variolarum genere rex, qui in amoribus totus erat, laboravit variolis veris, an pustulis venereis, quæ sub hoc tempore cum febre solebant incidere. Huic opinioni suffragatur UNRESTUS † : affirmat, CAROLUM Morbo Gallico
 E mortuum

* *Mémoires de Messire PHILIPPE COMINES*, tom. i., pag. 563.

† Vide GRÜNER, Scriptor. p. 240.

mortuum esse. BERNARDINUS CORIUS* ita habet: “ CARLO, Re di Francia, agli undeci
 “ di Settembre l’anno di CHRISTO mille-quat-
 “ trocento novanta quattro pervenne in Asta
 “ Citta, et quivi fu con grandissimo honore
 “ ricevuto da quei Cittadini. LUDOVICO
 “ SFORZA mandò al Re molte formosissime
 “ matrone Milanese, con alcune delle qualle
 “ piglio amoroso piacere, et a quelle presento
 “ di pretiosi anelli. D’indi, per la mutatione
 “ dell’ aëre, CARLO *s’infermo di varuole.*”

Hactenùs monstrare conatus sum, omnia quæ contra originem Americanam Siphylidis dici solent, parùm valere: adjicere liceat pauca quæ mihi hanc rem perscrutanti in mentem venêre. Quando primùm Hispani oras mundi occidentalis advenerunt, gentes Americanæ per secula multa obnoxixæ fuissent huic morbo,

* *L’Historia de Milano volgarmente scritta dall’ excellentissimo oratore M. BERNARDINO CORIO;—in Venegia, 1554:—Apud GRÜNER.*

morbo, iis aliquantùm periculoso; veruntamen cum eadem ægritudo Europæ natis impertiretur, vix ac ne vix medicabilis exstitit. Totam per orbem antiquam, cursu rapido mortiferoque progrediebatur*, gradatim vires suæ minuebantur et novam induebat formam. Brevi post primam ejus tentationem, Siphyli- den mutationem notabilem subiisse notabat FRACASTORIUS. “ Porro et annis labentibus, “ annis jam ferè sex, (circiter annum 1534 “ aut 1535), in quibus nunc sumus magna “ rursùs mutatio facta est ejus morbi, quippè “ cùm in valdè paucis pustulæ jam visantur, “ et

* Hujus pestis rapidum progressum, nitidè illustrat FRACASTORIUS :

“ Ut sæpè in stipulas cecidit quum fortè favilla
 “ De face neglectam pastor quam liquit in arvo ;
 “ Illa quidem tenuis primùm similisque moranti
 “ Incedit : mox ut paulatim increvit eundo
 “ Tollitur, et victrix messem populatur et agros ;
 “ Vicinumque nemus, flammisque sub æthera jactat :
 “ Dat sonitum longè crepitans, Jovis avia sylva,
 “ Et cælum latè circum campique relucet.”

“ et dolores ferè nulli aut multi leviores ;
 “ gummositates verò multæ, et, quod mirum
 “ omnibus visum est, capillorum et reliquo-
 “ rum pilorum casus, homines ferè ridiculos
 “ facit ; aliis sine barbâ, aliis sine superciliis,
 “ aliis glabro capite, in conspectum venienti-
 “ bus ; quod infortunium priùs ex medicami-
 “ nibus putabatur evenire, præsertim ex ar-
 “ gento vivo ; mox certiores facti omnes sci-
 “ unt, ex ipso morbo procedere.” MARTI-
 NUS DORCHESINO, qui scripsit anno 1539, his
 utitur verbis : “ Icelle maladie a remis beau-
 “ coup de sa ferocité et aigreur première, et
 “ n’en sont les peuples si travaillez qu’ils sou-
 “ loient.” ASTRUC et GIRTANNER laudant
 multos auctores ad hanc mutationem mon-
 strandam. In Hesperia, ubi primùm grassa-
 ta est, et strages innumeras edidit, Siphylis
 nunc leve fit malum. In Edina tantus fuit
 olim horror hujus morbi, ut omnes eo infecti
 occluderentur, jussu Magistratûs, in insula
 æstuarii Bodotriæ. Quàm maximè mites-
 cere solet, sequenti excerpto a narratione
 itineris

itineris ULLOÆ intelligere possumus *. “ The
 “ venereal disease is here (apud *Quito*) so
 “ common, that few are free from it, though
 “ its effects are much more violent in some
 “ than in others. The principal cause of its
 “ prevalence, is negligence in the cure. For
 “ the climate favours the operations of the
 “ medicines ; and the natural temperature of
 “ the air, checks the malignity of the virus
 “ more than in other countries. And hence
 “ few are salivated for it, or will undergo the
 “ trouble of a radical cure. This disease must
 “ naturally be thought in some measure to
 “ shorten their lives, though it is not uncom-
 “ mon to see persons live seventy years or
 “ more, without ever having been free from
 “ that distemper, either hereditary, or con-
 “ tracted in early youth.”

Ex viatorum recentium scriptis, patet In-
 sulam *Otabeité* appellatam jam devastatam
 esse

* Verba auctoris ipsius exscribendi copia defuit ;
 itaque interpretatione usus sum.

esse hoc morbo ; et suprâ monstratum est, *Canada*, dum recens esset, malum adedò vehemens fuisse, ut ferè nullis cederet medicamentis. Hispani iisdem remediis utentes cum Americanis, et idem clima incolentes, Siphylide periêrunt ; tamen ipsi indigenæ, qui per multa secula huic pesti obnoxii fuêre, facilè sanabantur. Ex his satis constare existimo, Siphylidem primò immaniter sævire ; paulatim exolescere ; denique apud gentes singulas ex morbo indomabili, pœnam perlevem nimis promiscui concubitûs fieri.

F I N I S.



